

COMPENDIUM  
PRIVILEGIORVM  
ET  
GRATIARVM  
SOCIETATIS  
I E S V.



ANTVERPIÆ,  
Apud JOANNEM MEURSIUM:  
M. DC. XXXV.  
SUPERIORVM PERMISSV:

COMPENDIUM  
PRIVILEGIORVM  
ET GRATIARVM  
SOCIETATIS  
IESV.

ABSOLVTIO.

§. I.



MNES Confessarii Socie-  
tatis habent facultatem  
absolvendi quoscumque  
Christi fideles ad eos unde-  
cumque accedentes, eo-  
rum confessionibus dili-  
genter auditis, à quibus-  
cumque peccatis, etiam Sedi Apostolicæ re-  
servatis; & à quibuscumque sententiis, cen-  
suris, & pœnis Ecclesiasticis ex illis resul-  
tantibus, iis exceptis, quæ in Bullâ Coenæ  
Domini continentur. PAVLVS III. litte-  
ris Apostolicis pag. 25. Et quamvis aliqui  
Ordinarii prætendunt prædictam facultatem  
quoad casus per illos reservatos nihil ope-  
rari, imò ei esse derogatum à GREGO-  
RIO XIII. juxta ea quæ in quadam epi-  
stolâ ad unum ex eis missa, Illustrissimus

*Facultas ab-  
solvendi quos-  
cumque ab  
omnibus, ex-  
ceptis quæ in  
Bullâ Coenæ.*



**R.** P. Everardus pie mem. Compendium facultatum, & gratiarum Societatis nostræ ad Provincias transmitti mandaverat: cujus usum voluit per triennium Nostros experiri. Cumque varia ex variis locis in Urbem postea allata essent, & ab omnibus Compendium absolutum, atque perspicuum, ut maxime necessarium, efflagitaretur; R. P. N. Claudius Aquaviva ejusdem Societatis Generalis Præpositus, recognitum & auctum tandem evulgari atque communicari decrevit. Porro ipsorum privilegiorum verba ita sunt ex suis locis desumpta, ut erant, stylo nihil immutato, quo & fidelius ac sincerius referrentur, & melius ac certius intelligi possent. Meminerint vero Provinciales quod ad librum hunc communicandum attinet, Regulam xxxviii. Communium, ab omnibus esse diligentissime servandam, atque adeo ipsis Superioribus magna in ea re prudentia, ac circumspeditione agendum. Usus vero cum ex præfatione libello præfixa, tum ex communicatione ipsis facultatum paragraphis adjuncta, facile cuique patebit. Datum Romæ xxv. Novemb. M. D. LXXXIV.

Mandato ejusdem R. P. N. Generalis Præpositi,

Jacobus Ximenez Secretarius.